Sz XVII
br 25a

IONAS SARMATICVS:

Vniuersam Gentem oramque POLONAM, ad veram, rigidam, & duram Pœnitentiam suscipiendam; tempori perturbato ac luctuoso, Patriæ ac Reipub: nostræ seruiẽtem; & Gratiam, Pacem, ac fælicitatem Reip: nostræ omnem, reparare valentem; exhortans: verbis 5. à Deo sibi demandatis atq; præscriptis, his:

NISI PŒNITENTIAM EGERITIS, OMNES PERIBITIS. *Ionæ C. 3.*

A

M. Matthia Bloſio Crac: S. T. D. Collega Maiore, S. Annæ Decano; Illuſtriſs: ac Reuerendiſs: D. MARTINO SZYSZKOWSKI, *Epiſc: Crac: Duci Scuerien: Senatori Ampliſs: Acad: Crac: Cancell: Digniſs: Sanctæ Sedi Apoſt: addictiſs: Patri; Sereniſs:* REGI *ac ſacro Palatio eius dilectiſſimo & obſeruandiſsimo Antiſtiti: Patrono Cultus Diuini Zelantiſsimo; iuſſu Dei dedicatus: Die Octaua Feſtiuitatis S. Annæ, Acad. Crac. Patronæ.*

Non ad miſeriam noſtram ſolandam, ſed ad veram, rigidam, ac duram Pœnitentiam agendam; à Deo producti ſumus.
S. Chryſoſtomus Homil. de Pœnitentia.

2.J13A.17

CRACOVIÆ,
In Typographia Lazari, apud Matth: Andreouien.
Anno Domini. MDC XVII.



Μήνα διχοτόμω συν' ξίφει, ἄγλαον ἐσον
στέμμα, γενέθλης, τῶν Σισκοβίων, κυδίμης.
ἦ σελύνη πέμπει μέροπας εἰς λαμπόμενον φῶς.
ἀλλὰ χαρακτὴρ τῦ κράτεος ἐστὶ κίπις.
Λάμπ' ἡμῖν γᾶν, μὴ μόνον ὄμμα τὸ Σισκοβίων ὧν
Μάρτινε, κἢ ποίμνης, πατρίδος ἄν γε φίλης.
τῷ ξίφει κύρεος σοῦ, ἰῦν κ' πάνστοτε, χρήζε
θρησκείαν ἐχθρῶν τῶν ἄπο πρὸς φερέειν.

M. Zacharias Starnigelius

BIBLIOTEKA ŚLĄSKA
221325 I

Illustriß: Domino, ac Reuerendißimo in CHRISTO *Patri;*

D. MARTINO SZYSZKOWSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia, Episcopo Cracouieñ: Duci Seuerieñ. Academiæ Cancellario. &c.

D. MATTHIAS BLOSIVS, Salutem & Fælicitatem precatur.

CAlamitosum hoc tempus, quò, Gentis nostræ POLONAE *homines, à rectæ rationis honestatis & iustitiæ regula recedentes, iram omnipotentis Dei multiplicem, à multo iam tempore ergà se Patriamq; suam dulcissimam concitauerunt; admonuit me, vt eosdem, ad Pœnitentiam, strenuè exhortarer; sine qua, veniæ ac protectionis locum apud* DEVM *nequaquam haberent. Nam, si in natum, & in mundo spectabili, effectus tristes euenientes, Philosophos quondam inuitârunt, ad inuestigandas eorum causas ignotas & reconditas; multò æquiùs, me, in*

Politia Polona atq; in Ecclesia Dei constitutum, clades huiusmodi variæ, ab ira Dei in Gentis nostræ homines æquo iure hactenus immissæ, adigere debebant, ad inquirendum atq; indicandum ipsis id, quo, hæc omnia auerti ab eis æquatione possent. An non effusa est contemptio inter Principes? an non errare fecit
Psal: 106. Deus illos omnes, in inuio, & nõ in via, vti à Spiritu sancto prolatum habemus? Tales verò sunt homines; quales primorum sunt mores. Talis & Politia est; quales Architectonici viri sunt. Quam exhortationem saluberrimo consilio à me susceptam, vt tibi dedicarem atq; cõsecrarem, officium tuum Pastorale & Episcopale in hac Diœcesi Cracouiensi primaria, à Deo, Rege, Senatu, concorditer tibi delatum; mihi persuasit: vt oues tuæ omnes, lamentis Pœnitentiæ veræ, rigidæ, ac duræ, sufficienter mundatæ; atq; potestate Clauium tibi concessarum à nexibus peccatorum suorum plurimorum, liberatæ, viam salutis æternæ (cùm merito tuo, suoq;) sedulò insistant, insistentesq; toto regiminis tui Pastoralis atq; Episcopalis tempore, bonis omnibus in quiete ac tranquillitate optata, efflorescant. Neq; enim est abbreuiata manus Domini; habemus Deum illum, qui de se ad Moysen protulit; Ego sum qui non mutor. Quod si per Ioannis Baptistæ prædicationem Pœnitentiæ, languidus & sauciatus mundus, sanatus & quietus temporibus dotatus est; si & per Ionæ Prophetæ denuncia-

nunciationem Pœnitentiæ, Niniuitæ saluati ac conseruati sunt; Et nostra ora Polona, medicinam similem sub faustis Episcopatus tui amplissimi auspiciis, recipiens; sanitatem omnimodam atq; quietam tempora à Deo omnipotenti certò polliceri sibi debet. Qui enim Deus per os huius Prophetæ dixit: Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes peribitis; *Itemq; per os præcursoris sui:* Nisi Pœnitentiam egeritis, securis ad radicem posita est. *Idem quoq; dicendum cunauit:* Pœnitentiam agite, & ecce vobis sunt munda omnia: Pœnitentiam agite, & ecce appropinquat vobis regnum cœlorum. *Faciat idem Deus Ter Optimus Maximus, vt quemadmodum Prophetis, & Ioanne præcursore* IESV CHRISTI, *Pœnitentiam vniuersis hominibus prædicantibus; Reges, Principes, Milites, Turbæ, & Populi, auidè ad petendum super statu suo vario, consilium salutiferum concurrebant; licèt supercilium eorum grande, per verba illa præcursoris saluatoris rigida,* Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? *grauiter peteretur: ita, vt & gentis nostræ Polonæ homines, exhortationem hanc, Pœnitentiæ, rigidæ, veræ, & duræ lamenta suadentem, ambabus manibus atq; vlnis arripiant, ab eaq; saluberrimum ac summè necessarium super suo statu diuerso consilium, omni vitæ ipsorum tempore proficuum futurum petant, perquirant, reffcrant; Eoq;* Ionæ 1. & 3. Ioan: 1. Lucæ 1.

se totos diligenter reformantes, saluti, incolumitati, atq; dignitati pristinæ, se, ac Patriam suã dulcissimam, toto orbe terrarum clarissimam, ex integro restituant. Quò ipso, nihil potentissimo atq; inuictissimo Regi nostro, ac dignissimo seminis eius Sereniss: Principi WLADISLAO, ad videndum optatius, ad quietẽ cõmunem accommodatius, atq; ad res Moscouiticas perficiendas, efficacius expetibiliusq;, tali amotione obicum ac obstaculorum, cursum negocij cùm Moschis fœlicem impedientium, accidet. Quorum menti, hæc insidet consona scripturis diuinis sententia; Deum omnipotentem, non prius furorem suum, ac plagas suas à Regno POLONO auersurum, quàm per POLONOS omnes, pro offensis innumeris erga Maiestatem eius omnipotentem, cõmissis & designatis, sæpiùs repetitis, necdum condignè expiatis, satisfactum fuerit. Quod, vbi in Gentis nostræ hominibus assecutus cùm auxilio Dei atq; assistentia eius fuero; Te quoq; facilè idem Deus adducet ad id, vt obsequiũ hoc meum, charum, vtile, ac necessarium reputes; tanquam simile proportione quadam obsequio illi, quod CHRISTVS IESVS à Ioanne, pro lucris animarum quærendis exhibitum, chilarissimo vultu, gratissimoq; animo excepit, & coram turbis remuneratus est. Istud mihi de Te certò persuadeo; cùm sciam referre Te in omnibus animum illum Illustrissimi Bernardi Macieiowski, Episcopi Crac. Archiepiscopi

Gnesnen.

Gnesnen. S. R. E. Cardinalis amplissimi, & animarum salutis Zelantissimi Pastoris; cui cùm in vim gratiæ animi, (eius Cancellarij tunc Academiæ Romam studij Theologici causa missus concessione) in eadem Sancta & æterna vrbe Theoremata mea Theologica dedicassem, dedicataq; in Ecclesia sanctæ Mariæ ad Mineruam apud Dominicanos, Sub Illustriss: atq; Augustissimo ipsius nomine defendissem, ac propugnassem; eidem res hæc iucundissima, gratissima & commendatissima fuit semper. Postquam verò, similibus benignitatis atq; protectionis tuæ alis contectus fuero, facilè in animum meum inducam hoc, vt Te Patrono Duce ac Protectore meo Illustriss: atq; Augustissimo, Iosue, Ducem Dei, pro bellando bello Moschouitico, & pro adiungendis subiugandisq; Moschis Regno nostro POLONO, toto orbe terrarum clarissimo, sub Aquilæ Albæ patrocinio, munere omnipotentis Dei cursum suum dirigenti, à Deo ordinatum; in Palàtium Regale Serenissimi Regis mei SIGISMVNDI TERTII, fælicibus auspiciis introducam. Nunc verò initiò auspicatissimi regiminis tui Pastoralis & Episcopalis amplissimi, D. Ter Optimus Maximus assistat tibi assistentia sua intima, augeatq; in te Gratiam Apostolicã, Ecclesiarum gubernationẽ, miraculorũ Patrationem, & Dilectionem inamissibilem; ex se fundentem: vt oues tuas vniuersas, dispositas, & præparatas, dispositione

tione & præparatione ea quæ sola cordi Omnipotenti Deo est, ac satisfactionem eidem gratam pro offensis peccatorum, adfert iuxtà Canonicum diuinum testi-

Psal: 50. *monium,* Sacrificium Deo acceptum, Spiritus contritus & contribulatus est; *& Dei ipsius vocem ad*

Ioel: 31. *peccatorem, per Ioelem directam,* In quacunq; die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius ampliùs non recordabor; *Habenis spiritualibus latè patentibus atq; diffusis, regas, administres, perficias, cùm Tua, & ipsarum, certa atq; efficaci salute; à Deo Ter Opt. Max. plus quàm voce & scripto possum exprimere, tibi vnicè opto, Quem optimè, fœliciſsimè, & quàm diutiſsimè valere cupio; Es enim Episcoporum Poloniæ Princeps, Hæres Apostolorum, primatu Abel, gubernatione Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Authoritate Moyses, Iudicatu Samuel, Potestate Dauid Rex, Vnctione Christus, Nomine & re Martinus; cuius doctrina ceù lacte omnes nutriemur, gratia inungemur, & protectione aduersus hæreticorum insultus omnes conseruabimur. Vale. Datæ ex Colleg: Maiori, Ipsa Octaua S. Annæ, Acad: Cruc: Patronæ.*

Dei; & Reuerendiſs: D. V. Sacerdos, & in Parochia Zielonecensi ad Cruc. Parochus indignus;

D. Matthias Blosius Cruc. A. C. P.

Ad Le-

Ad Lectorem, in viſceribus CHRISTI IESV dilectiſſimum; Author.

AD tam triſtem terminum, res noſtræ POLONÆ vergunt, vt valdè nobis pertimeſcendum ſit, ne Deus omnipotens, Dominus exercituum, Rex ac factor orbis terræ, per aliquem ſeruorum ſuorum fidelium, qui ſuper ſignificatione reuelationis eius certus ſit, denunciet nobis, quales ſimus, & quid cogitauerit, ſtatueritq; de nobis. Et quidem verbis his, timoris & horroris plenis; Væ Genti peccatrici, po- Eſaiæ 1.
pulo graui iniquitate, ſemini nequam, Filiis ſceleratis; quia dereliquerunt me Dominum, ſuper quo, percutiam eos, vltrà addentes præuaricationem. Valdè inquam, pertimeſcendum eſt nobis hoc iudicium horrendum Omnipotentis Dei de nobis. Namq; eum hactenùs, munificentiſſimum benefactorem, ſapientiſſimum legislatorem, clementiſſimum dulciſſimumq; Redemptorem noſtrum, à quo emutriti atq; exaltati fuimus ſemper; peccatis ſceleribusq; noſtris innumeris, obliti timoris, reuerentiæ, & amoris inceſſanter offendimus, ſpreuimus, contempſimus. Quali offenſæ, talis ex iuſtitia, debetur pœna, in ſcripturis diuinis, per Spiritum ſanctum præſcripta; Percutiam eos, percuſsione inſanabili, cuius vulnus, & liuor, & plaga, ſemper tumeat, non ſit circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. Amant igitur ſe iam infideles contrà nos, quibus plaga ac percuſsio talis cordi eſt, niſi Deus Omnipotens, eos in perniciem noſtram, ac Patriæ noſtræ dulciſſimæ, graſſando ruentes, manibus ſuis crucifixis, vt clementiſſimis, ita & potentiſſimis, retineret tamdiu, donec aut iniquitatis noſtræ menſuram impleuerimus, perire volentes; Deique omnipotentis iuſtitiam in curſu morantem, ad exitum vindictæ immenſæ adducere adnitentes; aut certè iniquitati nuntium ex corde emittentes, lamentaq; Pœnitentiæ veræ, rigidæ ac duræ aſſumentes, iuſtitiam eius

vindicem, in misericordiam supplicem, sollicita cura conuertere, contendeimus. Quod, vt eo meliùs atq; fructuosius omnibus nobis cedat, operepretium esse duxi, Gentis POLONÆ homines, sub pigro ac frigido Bootte manentes, hac exhortatione mea, stimulare atq; inflammare, ad veram, rigidam, duramq; Pœnitentiam, pro peccatis innumeris in gremio Patriæ suæ dulcissimæ, REGNIQVE POLONI toto orbe clarissimi sinu, assiduè hactenùs patratis, sæpiusq; repetitis, necdùm expiatis: assumendam. Cuius Pœnitentiæ, proprium est; ex Deo offenso, propitium; ex iusto, misericordem; & ex peccatoribus ipsis, iustos ac sanctos facere homines. Namq;, si oræ nostræ POLONÆ, non desunt Medici industrij, & fideles, qui corporibus hominum morbo aliquo oppressis, rectè prospiciant, ac semper in posterùm prospectum esse velint: nobis quoq;, quibus ex vocatione diuina ars curaq; animarum iuncta atq; demandata est, adnitendum est, vt ex affectu fidelitatis, atq; charitatis intimo quò erga animas humanas sanguine IESV CHRISTI copiosissimo redemptas ac conspersas, illarumq; salutem, dono Dei feruemus; easdem animas illorum, interim peccatorum innumerorum morbis periculosissimis oppressas, Pœnitentiæ certis gradibus, ac Medicinis quibusdam spiritalibus efficacissimis, exhortationi nostræ insertis, in virtute Dei, eiusq; virium supernaturalium, sanaremus. Cuius sanitatis, vt eò capacior magisq; idoneus sis; hoc vnum age, hoc meditare, hoc versa assiduè in anima tua, vt cùm infirmitatibus, languoribus, impotentiis, morbis, atq; periculis tuis omnibus, ingrediàris CHRISTVM Crucifixum, ac eius vulnera quinq;, Petram illã, percussione clauorum, & lanceæ excauatam, à Moyse, Esaia, Apostolis, & Euangelistis, in vim Remedij infinitè efficacis, tibi ostensam, exhibitam, declaratam. In eademq;, abscondaris tamdiu à facie timoris Domini, & à gloria Maiestatis eius Omnipotentis, ad vindictam immensam parata, donec tibi, ac Patriæ tuæ dulcissimæ, auxilium immensum & abundantissimum, ex iisdem vulneribus quinq;, carnis IESV CHRI-

S. Th. 3. de Pœnit.

Num. 19. & 21.


CHRISTI *viuificatricis ac propugnatricis, ad hunc effectum latè patentibus ac apertis, contrà hostes tuos omnes, tam corporales, quàm spirituales, ac contrà morbos tuos omnes, animam tuam ad agonem atq; ad discrimen mortis æternæ pertrahentes; fuerit datum. Tui autem officij erit, morigerum ac obtemperantem te, pro sanitate tua æterna inte inducenda atq; inferenda præsta e, Deoq; tuo assiduè & incessanter gratias agere, pro vocatione, qua te ad Pœnitentiam vocat; & tuam cæcitatem, duritiam, ac obstinationem cordis increpare, qua promeruisti, vt non ampliùs suaui, sed iam violenta à Deo vocatione ad Pœnitentiam traharis. Non sis hac in parte Dauide Rege inferior, ingratiorq;, qui insimili quondam casu constitutus, subitò ad Gratiarum actionem se contulit pro hoc beneficio, quòd illum omnipotens Deus peccatis deditum atq; mancipatum cum suis, violenta vocatione stimula et ac inflammaret, vt statum peccatoris desereret, & statum iustitiæ sedulo arriperet: vt verba eius documento sunt, Psal: 106; Dedisti metuentibus te Domine significationem, vt fugiant à facie arcus; hoc nomine itaq;, Benedicam te Dominum meum in omni tempore, semperq; laus tua erit in ore meo. Hoc idem cum & tu facies exemplo Regis istius, tuamq; fidem, operibus iustis ac bonis vsq; ad mortem declarabis, veri enim filij Abrahæ facere semper debent opera Abrahæ, non Sathanæ; inque continuâ gratiarum actione pro beneficiis Dei, manebis; non amplius audies à Deo tuo verba illa terroris & horroris plena, per Esaiam Prophetam pronunciata, qui ita reuelationi hac in re sibi à Deo factæ certus fuit, vt ausus fuerit addere, ac poste is testatum relinquere:* Ne ergo dimittas eis, *hoc est, vaticinor certò, Deum peccata vobis non condonaturum, ô* IVDÆI, *quia Pœnitentiam veram assumpturi & facturi non estis: sed hæc potiùs incolumitatis & salutis plena,* Cùm voluntatem meam facietis, ac in præceptis meis ambulabitis, comedetis panem vestrum in saturritate, absq; pauore habitabitis in terra vestra, dabo pacem in finibus vestris, & non erit ampliùs

Esaiæ 6

Leuit: 25.

qui vos exterreat. *Quod, vnicè à Deo atq; continuè, pro te, ac Patria tua, petas, cùm fiducia impetrandi & consequendi; nobiscum vnà, qui pro Gentis nostræ hominibus illa verba* Psal: 22. *Cordialiter vsurpare ad omnipotentem Deum nunquam cessamus;* Da eis auxilium de tribulatione, non enim brachium eorum saluabit eos, sed T V, & illuminatio vultus tui, quia complacuisti in eis. *Bene vale: & Deum, vt auertat iram & furorem suum: plagas suas, ac gladium vltorem fœderis sui, à nobis omnibus, assiduè exoret, per verba illa Psal:* 65. Expugna gentes Deus, quæ bella volunt. *Vale iterùm; & in pœnitendo, vt non dicas, cras faciam; nomine Dei sedulò monemus.*

Descripsit Nos in Manibus suis,



Introeas Peccator; in Potentias; Saluatoris Tui.

Non dicas, in Pœnitendo, cras Faciam. *Prou:* 4.

Vocis

Vocis, Ionæ Sarmatici; initium.



Oenitẽtiam, esse vnam de numero illarum rerum, quæ asperitate & horribilitate sua, carnalem hominem, eiusq; sensum carnis valdè offendant; multa sunt nobis documento. I. Ionæ inprimis Prophetæ fuga; cui cùm mandasset Deus, vt iret Niniuen Ciuitatem grandẽ, (itineris nempe trium dierum;) atq; in ea Pœnitentiam, Regi, Principibus, & populo, quorum malitia in immensum coram oculis maiestatis eius exundauerat, prædicaret; mandanti ille Deo, parere noluit, à facie ipsius remotè fugere in animum induxit, in mare mitti & à pisce grandissimo deglutiri elegit potiùs, quàm prædicationem Pœnitentiæ suscipere, hominibus carnalibus, sensum carnis in omnibus sequentibus, quales Niniuitæ erant, vndiquaq; duram Ionæ 1.

& grauem. Ioannis deinde Baptiſtæ, factum, qui, officium Præcurſoris Domini impoſitum ſibi eſſe videns, ad denunciandam omnibus hominibus pro remiſſione peccatorū conſequenda, Pœnitentiam; licèt Redemptoris Aduentu, adhuc in vtero matris ſuæ, donis & chariſmatibus diuinis multiplicibus, inunctus & repletus eſſet; tamen exiſtimauit, non prius vocē ſuam, in denuncianda Pœnitētia, apud homines carni & ſenſualitati mancipatos, quales, Scribæ, Saducæi, & Phariſæi erant, fructuoſam fore; quàm ipſe, eandem Pœnitentiam, in aſpero atque horrido deſerto, ab infantia ſua, vſque ad ætatem virilem, rigidè Annos permultos egiſſet; crudis ſemper cibis vtendo, bellis ſpiritualibus aſſidue vacando, in tentationibus innumeris Fidem Deo ſuo probando, & diſpoſitiones omnes, pro dignè denuncianda, aſſerenda, atque vindicanda Pœnitentia, adhibendo; per quæ Gratiæ Dei ſubſidia idoneus ac potens ille ad hoc officium effectus; tum demum ex deſerto horrido atq; aſpero prodire, ac prodiens,

vocem

Vocem hanc, vniuerſo mundo vtiliſſimam, pleniſſimamq; ſalutis; de agenda Pœnitentia, leuare cæpit; Agite Pœnitentiam, Facite fructus dignos Pœnitentiæ, vt remittantur peccata veſtra, & appropinquet vobis Regnum Cælorū; Lucæ 3.
ſin ſecus facitis, hocipſo, à remiſſione peccatorum, & à conſecutione vitæ æternæ exciditis; Non filij Abrahæ, neq; homines, ſed filij iræ & vituperarum proles; Nec fructuoſa arbor, ſed Matth. 3.
infructuoſa eſtis, ad cuius radicem excidēdam, ſecuris iam poſita eſt. Et tandem ipſius IESV CHRISTI, Dei Humanati, exemplum: quem, cùm Pater ipſius Cæleſtis in hūc mundum miſiſſet, vt natura humana aſſumpta, pro Genere humano perdito, Pœnitentiam condignam, perfectam, & rigoroſam, qualem præſtare nulla pura creatura poterat, in ara Crucis peregiſſet & exhibuiſſet: adeò illi Pœnitentia hæc, aſpera, grauis, & dura, (cum oculis ipſius, ſub ipſum paſſionis inſtans obiecta quaſi in ſpeculo fuiſſet, viſa eſt) vt ſenſu ſuo vndiquaq; timente, ac carne ſua pænitùs contradicente, refugeret ean- S. Bon: lib. 3 Cap. 1. de Red: generis Hum.

ret eandem; Patris sui cælestis clementiam atq; misericordiam, terna vice, cum humilitate & efficacia, quàm potuit maxima, implorando, per quam, ab huiusmodi Pœnitentia liberari, ac aliquo alio modo, generi humano perdito, quàm, per Passionem suam vndiquaque ignominiosam, crudelem, & pœnosam, subueniri; precatus est. Omnipotente & Summo Patre nihilominus, voluntatem suam plenam & deliberatam in hoc, Ei interim patefaciẽte; quòd omnibus modis vellet, vt quamuis Filius eius vnigenitus & naturalis esset; tamen, morte vndiquaque despecta, crudeli & pœnosa, pro peccatoribus moreretur; atq; eundem per Angelum suum confortante, vt, quod sensus ipsius timebat, & Caro eius dolens pœnitùs recusabat, Ratio autem ad exequendum ordinabat, & Diuinitas imperabat; hoc vt ille, non minùs fortiter quàm fæliciter exequi, aggrederetur: & quidẽ, consensum talem in hoc eliciendo; quòd vellet, Patri, quâ Homo esset obediens, humano generi perdito, per rigorosam, perfectam

ctam, atq; cõdignam Pœnitentiam ſuam, modis omnibus eſſe ſubuentum. En hæc naturâ eſt carnis, hoc ſtudium, hæc ſollicita cura, hæcque occupatio tota atq; integra, ô Chriſtiane; vt ea, non ſolùm in Prophetis, & Apoſtolis, ſed etiam in ipſo IESV CHRISTO, Deo Humanato, ac Domino Prophetarum & Apoſtolorum, Spiritui atq; Diuinitati ipſius, Pœnitentiam ſalutarem ac neceſſariam eſſe, iudicanti, ordinanti, & imperãti, contrauenire ac repugnare, quamuis incaſſùm, auſa fuiſſet. Vndenam, in carne ac ſenſualitate noſtra, odium hoc erga Pœnitentiam pullulet, docet S. Paulus ad Rom: cap: 7. in quo, carnalem ſe nominare, ac boni omnis expertem propter inſtructionem noſtram cõfiteri, non erubeſcit. Indè nempè, quia maledicti Adam, veteris hominis, primi Parentis noſtri, reliquiæ in nobis maneant, ad hoc aſſidue, carnem noſtram fragilem, pigram, & delicatã pertrahentes, vt ea ſpiritui, cui vinculo arctiſſimo coniuncta eſt, perſuadeat, quò ille, terrena ac carnalia amet, ſibi in eis placeat, Dei in om-

Ad Rom: Cap: 7.

nibus negligens sit, eaq; sola interne & externè quærat, quæ, ad carnem & ad præsentem vitam spectant: Spiritualia, & ea, quæ ad futurã vitam spectant, vt postponat; ad quæ mala, & Gentes, in Terra promissa, à Deo relictæ, filios Dei, assiduè pelliciebant & pertrahebant. In his autem persuadendis, facilè carni succedit, namq; simulat se spiritui amicam, cùm tamen reuera hostis eius pestillentissimus sit, & intùs & foris eum assiduè impugnans; imò, ex pacto quasi hostibus hominis & Dei, Mundo, Diabolo, alijsq; permultis, in hominis malum, semper consentiens. Vbi verò caro ex limo formata, persuasionibus huiusmodi præposteris, spiritum hominis inescauerit, & irrecierit: grauiora statim contrà eundẽ aggredi, tentat; ipsum nempè etiam spiritum, Diuinæ Particulam auræ, robore ac potentia omni per ipsam expoliatum, vinculis constringit, in carcerem conijcit, in seruitute Tyrranica detinet; & hæc omnia, fine eò facit, vt eundem, propter lubentias temporales, visione & fruitione Dei æterna

Iosuæ 7.

S. August. Hom. de Pœnit.

opta-

optatissima, æternum priuet. A quibus malis inæstimabilibus, liberat hominem efficaciter Pœnitentia; cuius est proprium, carnem infirmiorem reddere, vires ei nocendi subtrahere, & ne insolescat, exercitijs eandem spiritualibus continuis compescere. Cuius adhuc Pœnitentia, sollicita atq; assidua cura, versatur in eò; vt homo quoq; totus, voluptatum, deliciarum, otij, leuitatis, societatis noxiæ, prauorum colloquiorum, aliarumq; talium vanitatum subtractione, ad officium suum spirituale redigatur. Quam, si condignam, Regni nostri ac Reipublicæ nostræ homines, pro offensis suis, erga Deum multotiès commissis, egissent hactenus; nequaquam, Ciuilia tot mala, Patria nostra dulcissima, ceruicem suam petentia, sensisset; nequaquam & nunc in timore grauissimo manẽdum ei esset, cùm Deus peccatorum vltor & vindex acerrimus, immittit in eam Gentes feroces, per quas, admoneantur filij eius desertores, satisfactionis debitæ, Deo, pro offensis erga eum multotiès commissis, iniurijsque per- Deuter: 28. Hier: 5.

multis, Maiestati eius Diuinę irrogatis, nec dum expiatis, exhibendæ. Si etenim peccatum à nobis in Ada patre nostro commissum, tot cladibus longissimi temporis à Deo vindicatum est, & dimissum nobis à Deo, sine satisfactione cõdigna & rigorosa. IESV CHRISTI præeunte, nõ est; multò minus sperandum nobis est, peccata nostra actualia horrenda, quæ viribus liberi arbitrij nostri frequenter patramus, & quibus iniuriam maximã Deo irrogamus; fore à Deo nobis dimissa; nisi priùs Pœnitentiam eam pro ijsdem egerimus, per quam, pro offensa atque iniuria Deo nostris sceleribus multotiès irrogata, à nobis satisfiat; ac per quam simul, ne ira Dei per clades varias, in nos, ac in viscera Patriæ nostræ Matris dulcissimæ, desæuiat amplius; obuiam per nos, sollicitè eatur. Licet igitur Pœnitentia, ingrata sit auribus humanis, & plerumq; à cordibus & à mentibus humanis excludatur; tamen, quoniàm sine ea, vita nostra, naui in mari cõstitutæ, fluctibus marinis horrisonis obiectæ, & sine remige atq; gubernatore

omni

omni existenti, similis est; ideo, necessariam esse eam, etsi omnibus, tamen maximè excæcatis, obstinatis, & in malo obduratis peccatoribus, ostendendum ac patefaciendum venit. Etiamsi enim, omnibus penè notum sit, necessariam esse Pœnitentiam ad salutem, pauci tamen ac rari sunt, qui eam, vti par est, faciant: vt ergò eam Poloni ac Sarmatæ hoc modo præstemus; & præstando, Regno nostro, Reipublicæ, ac Patriæ nostræ dulcissimæ, quæ charitates omnium nostrũ complexa est, per hoc, pro virili nostra singuli subueniamus; in hoc, non quidem omnes debere doceri, omnes tamen debere exhortari, quamdiu carnem pigram circumferimus, cum Paulo, Ioanne, & IESV CHRISTO, constanter hîc assuerendum est. Assuerandum autem est: non ex scientia, sed ex gratia; vt eò efficacius, ad satisfaciendum pro culpis, mentes omnium, moueantur, terreantur, adducantur.

Vocis, Ionæ Sarmatici; medium.

ADamum, Patrem orbis terrarum, à quo omnes per propagationem seminalem descendimus, Mandato Dei violato, veram, rigidam, & duram egisse longo tempore, à Deo sibi iniunctam, Pœnitentiam; libri Gen: Cap: 3. doctrinæ Canonicæ, luculentissimè testantur. Erat Adamo iniungenda à Deo rigida & dura Pœnitentia, non solùm ex hac parte, quia seruus Domini; creatura Creatoris; discipulus, Magistri; subiectus, Legislatoris; & fragilis homo, Omnipotentis Dei, honestissimum, diuinissimum, & promissionum Dei feracissimum, transgredi mandatum ausus esset; sed etiam ex ea, quia sua transgressione, omnes simul à se per propagationem seminalem descendentes, Iustitia Originali, rectitudine, iucunda peccati deuiatione, alijsque nobilissimis dotibus, statui innocẽtiæ per Deum collatis & attributis, expoliasset;

Gen: 3.

postquam

postquam Diuino pacto, quod Deus cum illo pepigerat, de rectitudine ad omnes homines ab ipso per propagationem seminalem descendentes, transmittenda; vbi mandatum Diuinum, ipsi simul atq; productus à Deo esset, ad inuiolabiliter conseruãdum datum, seruasset; derogare, ausu temerario, & superbiæ pleno, attentauit. Iniuncta à Deo Pœnitentia, fuit illi exequenda; Gratia enim sublata, Amicitia cum Deo scissa, Donis supernaturalibus omnibus ab eo exulantibus, Peccato Originali toto genere humano, per ipsum, infecto, cùm peccato naturæ corruptione, & ad malum pronitate ad omnes propagata, seruituteq; Tyrranica insupportabili ac infinita cõtracta; nulla via alia restabat illi, ad ineundam cum Deo offenso amicitiam, ad Gratiam donaque supernaturalia amissa, recuperanda; ad medicinam Peccato Originali & peruersitati naturæ quærendam; atq; ad seruitutis æternæ iugum Tyrranicum insupportabile excutiendum; ipso dolore assiduo, afflictione continua, & luctu irremediabili,

bili, pro offensa ergà Deum commissa, iniuriaque eidem à se irrogata, ex Pœnitentia, assumpto. Non facienti enim, quod in se est homini; denegat Deus adiutorium Gratiæ. Non ingemiscẽte homine pro offensa, ac iniuria, Deo à se irrogata; iniquitatis atq; impietatis hominis, obliuisci non cogitat Deus. Nec reddente homine spiritum atq; cor suum, per Pœnitentiam, verè contritum & cõtribulatum; acceptat illud Deus, pro sacrificio placente sibi. Quòd veró Ada, præstando & exequendo pœnitentiam, à Deo sibi iunctam, ista omnia adhibuerit, eademq; conformiter fecerit, Virtuti Redemptoris illius, qui statim post peccatum suum, in remedium eiusdem peccati, promissus erat; istius rei plenissimum testimonium, à Spiritu sancto ad instructionem vniuersorum hominum ab Ada descendentium, cumq; originali peccato & corruptione naturæ nascentiũ, habetur Sapientiæ 10. perhibitum; *Hæc illum qui primus formatus est, Patrem orbis terrarũ, custodiuit, ne periret, & eduxit eum à peccato suo.*

Sap: 10.

ſuo. Ecce, Spiritus ſanctus, tanti momenti rem, ex qua manifeſtè liquere omnibus potuit, Statū Innocētiæ Adæ, & omnium ab ipſo deſcendentium, fuiſſe per Pœnitentiam ipſius reparatum; & ex qua plenè conſtare omnibus debuit, eandem Pœnitentiam, omnibus deſcendentibus ab Adam, à quibus non ſolùm actualis & propria, ſed etiam in alio contracta præuaricatio exigitur, eſſe neceſſariam; inſtructionis atque informationis gratia, manifeſtatam atq; propalatam omnibus eſſe voluit. Hæc tamen Adæ Pœnitentia, pro offenſa erga Deum commiſſa, iniuriaq́; Ei irrogata, ab ipſo ſuſcepta, ipſiuſq́; Spiritus S. teſtimonio commendata, confirmata, & ad poſteros eius tranſmiſſa; ad Aequalitatem Perfectam, condignam, & rigoroſam, ſatisfacere, nequaquā potuit. Neq́; enim procedebat à Perſona Grata, & Amicitia Diuina plena, qualem perſonæ dignitatem, portat ſecum, imponit, & homini communicat Gratia, qua cùm ille ſe, per peccatum viribus liberi ſui arbitrij patratum, expoliaſſet, ſine illa, neq;

Amicitiæ diuinæ, neq; operum meritoriorum, capax esse potuit. Ideò namq; per Spiritum.

Gen: 4. S. Gen: 4. prolatum est: *Non respexit Deus ad Caim neque ad munera eius*, quia Caim dignitatem personæ Deo acceptæ, non habuit; respexit autẽ idem Deus, ad Abel, & ad munera eius, quia Abel dignitatem personæ Deo placentis, habuit. Et ita per hoc, patentèr nobis

Gen: 4. à Spiritu S. intimatum est; Deum ante omnia, personæ dignitatem respicere, & postea opera, vtpotè quæ, â personæ dignitate, hauriant, & haurire debeant, valorem & dignitatem. Adhæc, vidit Deus, Adamum, transgressione & præuaricatione sua, contra se Infinitum, ac cõ-

S. Bon: lib: de Red: G. Hum. trà Maiestatem suam Infinitam, commissa; offensam contraxisse infinitam. Considerauit, & hoc, simul; transgressione & præuaricatione huiuscemodi, sibi ab ipso, malum infinitum simplicitèr, iniuriamq; infinitam simplicitèr, irrogatam esse. Peccatum enim Adæ, quantùm ad affectum, quo ille peccans scatebat, Deum

S. Ber: Ser: 3. de Resu. esse peremptum, illum à suo regno deiectum, & loco

& loco illius, alium Deum esse surrogatum, creaturam nempè, contendebat: qualis malitia peccantis Adæ infinita, sufficiens erat ad hoc, vt ea, malum Diuinæ Maiestati Infinitę, Infinitum simpliciter intentaret; iniuriamq; Eidem infinitam simpliciter, si affectum eundem peccantis Adæ attendas, irrogaret. Nam cùm immediatè hoc modo peccatum Adæ, contrà Deum tenderet; indè, non solùm extrinsecam, sed & intrinsecam enormitatem, malitiam, & grauitatem, in genere moris infinitam simpliciter, contraxit. Sicut enim dignitas personæ satisfacientis, redundat in satisfactionem, valorem non solùm extrinsecum, sed & intrinsecum, infinitum simpliciter: ita similiter, dignitas personæ quæ offenditur infinita, in offensam peccatoris, enormitatem, malitiam, & grauitatē, non solùm extrinsecam, sed & intrinsecam intensiuā, in ratione offensæ simpliciter infinitā; redundat. Iudicauit itaq; Idem Sapientissimus & Iustissimus DEVS, pro malo huiuscemodi, non solùm extensiuè sed & intensiuè infinito

S. Th. 3. p art: 2.

simpliciter; proque iniuria per huiusmodi malum infinita simpliciter, sibi ac suæ Maiestati Diuinæ, ab Adam irrogata; satisfactione condigna, perfecta, & rigorosa, quæ nempè à Persona, simpliciter Infinita, infinitè grata, infinitè digna, à nullo alio principaliter & absolutè dependẽte, & ex suo satisfaciente, procederet; opus esse. Sine tali namq; satisfaciẽtis satisfactione, neq; honor Deo restitui, neq; malum ipsi intentatum abolleri, neq; iniuria eidẽ irrogata cõpensari, cõdecentèr & cõdignè posset. Talis tamen satisfactionis, nullam creaturam capacẽ esse posse, quæ, & finita sit; & de suo, nihil nisi peccatum & mendaciũ habeat; & etiamsi præsidiis gratuitis instructa à Deo fuerit, nequaquam tamen per illa, totũ illud damnum quod secundùm affectum suum, peccans mortalitèr intulerat Deo, compensare & restituere possit. Peccatum enim, quantum est de se, destructiuum est Dei, & boni omnis Intellectualis naturæ Diuinæ; præsidia verò gratuita, non sunt instauratiua Diuini esse, quinimò illud supponũt,

S. Th. 3 par. Art. 5

Cone: Araux: Can: 2.

nec De-

nec Deum omnibus modis, quibus diligibilis eſt, diligi faciunt. Hæc eadem omnia, conſcientiæ Adæ patebant, eandemq; aſſiduè lancinnabāt; & ſi, & ex hac parte, quia per transgreſſionem & præuaricationem ſuam, vitam Gratiæ, atq; omnia ſupernaturalia dona amiſerit; maculam atq; deordinationem animæ incurrerit; ſua auerſione, bono Diuino infinito priuari, promeruerit; cruciatusq; æternos ſibi per eam procurrauerit; tamen, ex iſta potiſſimùm, quia ſcelus huiuſmodi patrauerit, cuius enormitas, malitia, atq; grauitas vndiquaq; infinita, non ſolum ipſum, ſed & omnes ab ipſo deſcendentes illaqueauerit, & reos atq; conſtrictos eoſdem, tam in Corpore quàm in Anima tenuerit: & quia etiam, hoc idem ſcelus, non tantùm ſibi, ſed & omnibus à ſe deſcendentibus, offenſam vndiquaq; infinitam apud Deum, cui intentatum eſſet, quem iniuria affeciſſet, & in quo tàm bonum rationalis creaturæ, quàm etiam bonum naturæ intellectualis ipſius Diuinæ, euerſum & deſtructum eſſe, affectu ſuo prauo in-

uo infinitè intenſo, contendebat; contraxerit. Et dùm lancinarent hæc Adamum aſſiduè, nec tamen contrà eadem remedium aliquod efficax in ſe, vel in Creatura reperiret: in Deo ſolo, iuſtè irato atq; offenſo ſibi, remedium tale eſſe ſitum, agnouit. Ad hunc igitur, ſe vertit; lamentis, deſiderijs, fletibus, doloribus, corporis & Animæ Continuis afflictionibus, auxilium & miſericordiam eius inclamando, & implorando. Quæ, cùm vſq; adeo vehementia eſſent, S. Bonauentura teſte; vt eadem Angeli in Cælo ſenſiſſent; commoti illi ad compaſſionem & commiſerationem erga hominem miſerabiliter lapſum, per Pœnitentiam, Deum offenſum ſibi, placare contendẽtem; pro eodem, Omnipotenti Deo, omnes in vnum congregati, prudenter, humiliter, & reuerenter, ſupplicarunt; vt eò faciliùs, citiùs, & efficaciùs, homo, Omnipotentis Dei miſericordiam, quàm vt deſertor ſeruus à Domino implorabat & inclamabat, inuenire, referre, & ſentire poſſet. Supplicatione & prece Angelorum in Gratia perſiſtẽtium, humi-

Lib. de Re. G.H. Ca. 3.

humilitatis, reuerentiæ, simulq; compassionis & commiserationis plena, Deus Optimus Maximus audita, eandē ad Cor admisit, admissaq; ea, tali Angelos responso dignatus est; *Pœnitet me fecisse hominem*, hoc est, vt S. Bonauentura ibidem lib: de Redempt. Generis Humani explicat; Postquam homo, à me creatus, pro præuaricatione & transgressione sua, enormitatem, malitiam, & grauitatem, infinitam, in se habente, Pœnitentiam facere condignam, rigorosam, & ad perfectam æqualitatem pro offensa satisfacientem, non potest; opem tamen hac in parte meam, incessanter inclamat & implorat, hacq; imploratione, displicere sibi vndiquaq; à se patratum malum, confitetur; & vos semper chari, fideles, & grati nobis, pro eodem, piè, humiliter, & reuerenter, supplicatis, interceditis, exoratis, Necesse est, vt pro eo, Pœnitentiam huiusmodi, faciam. Et statim, Filius Dei Naturalis, secunda in Diuinis Persona, obtulit se voluntariè, ad præstandam huiusmodi Pœnitentiam, per quam, satisfaceret pro homine, Gen: 6.

mine, Deo Infinito, vndiquaq; infinitè offenſo, iniuria infinita affecto, honoreq; ſuo immenſè expoliato; & per quam etiam ſimul, homo vndiquaq; perditus, & in ſeruitutem alienam crudeliſſimam redactus, euaderet redemptus; priſtinæq; libertati dulciſſimæ & expetibiliſſimæ, aſſertus. Non prius tamen id, quàm ad huiuſmodi Beneficium Redemptionis, agnoſcendum & percipiendum, tam Adam, quàm ab eò deſcendentes, cõuenienter diſpoſiti, diſpoſitionibus duris, grauibus, aſperis, amaris, carni ærumnoſis, à Iuſticia & Pænitentia imperatis, eſſent. Quæ diſpoſitiones, poſtquam, in pondere grauitatis, & enormitatis, peccati; in numero, plagarum à Deo in vim ſatisfactionis pro peccato inflictarum; & in menſura plenitudinis temporis, quinq; millium Annorum, ſecundùm beneplacitum Dei, præmiſſæ ac exhibitæ ſunt; exſoluit ſtatim fidem ſuam apud hominem Deus, egit pro eo Pænitentiam cõdignam tunc, quando, de Cœlo, ex ſinu Patris, ad vterum Virginis deſcendit, Maieſtatem ſuam Diui-

nam

nam trabea Carnis assumpta exinaniuit, Patri Cœlesti obedire ac eum adorare, ab Angelis atq; Creaturis omnibus ipse semper adoratus, cæpit; Circumcisione præterea, in Ægyptum fuga, laboribus, vigilijs, ieiunijs, Corporis continuis afflictionibus, nimium premi; animæ doloribus infinitis intensionem infinitam in se habentibus, in Anima sua susceptis, affici; & tandem, Passione, Cruce, Morte, Cerebri sui nobilissimi stillatione, & sanguinis totius pretiosissimi à Corpore separatione, vt Hostia beneplacens & in odorem suauitatis apud Patrem Cœlestem accepta, igni persecutionis, & charitatis, integrè consumi ac concremâri, pro homine, voluit. Qualis Pœnitentia, antequam per Illum SS. Trinitati in Ara Crucis exhibita, præstita, atq; erecta, pro homine fuisset; nulli hominū, non modo Adamo Sapientia, & Pœnitentia claro; Abrahamo, promissionibus nobili; & Ioanni Zachariæ filio, adhuc in vtero Matris sanctificato: sed neq; ipsi Electissimæ Excelsissimæ ac Dignissimæ omniū, Sanctissimæ Matri

Dei; Ianua Cæli, patêre potuit. Fuit quidem Sanctissima Mater Dei, expers omnis peccati, egitq; Pœnitentiam, non pro suis quibus penitus caruit, sed pro Adæ & hominum ab eo descendentium, commiseratione & compassione adducta, peccatis; eamq; non solùm extensiuã, ex oculis suis niueis & benedictis, tot lachrimarum flumina emittens, quot ad constituendũ
Hier: Ca. V. mare sufficiebant, per Prophetam Hieremiam Cap: V. prædictam; sed etiam intensiuam, doloribus tunc in Anima sua susceptis, vsq; adeò intensis, vt illi, non solùm animæ à corpore separationi, dolorosissimæ & pænosissimæ similes essent; sed animam quoq; ipsius multotiès imò infinitiès, omni acutissimo gladio penetrabiliùs, sub cruce trãsfixissent, gladio nempè Passionis per Simeonem Spiritu S. afflatum ho
Lucæ 3. minem, Lucæ Cap: 3. prædicto. Non tamen, eius hæc pietatis & commiserationis officia atq; Symbola, peccatoribus præstita, eosdem peccatores Deo Patri perfectè & condignè reconciliare, eisdemq; Ianuam Cæli aperire poterãt;

cò,

eò, quòd ad Reconciliationis opus, copioſè & perfectè peragendum, Ianuamq; cæli peccatoribus aperiendam, ſatisfactione à Perſona Diuina procedente, & Gratiam Capitis Infinitam in ſe habente, opus eſſe, in Concilio SS. Triadis, decreto efficaci & immutabili, conſtitutum atq; concluſum fuiſſet. Quo decreto interueniente, IESVS CHRISTVS Sanctiſſimæ Matri ſuæ, poſcenti ab illo ennixè, vt priùs permitteret eam mori, quàm Paſſionis ipſius ignominioſiſſimæ, acerbiſſimæ, & crudeliſſimæ, iam aduentantis, ſpectatrix eſſe deberet: concedere hoc quod poſcebat vnicè, non potuit. Illam enim poſt mortem ſtatim, ad Viſionem & Fruitionem Beatificã transferre conſtituerat, opere verò Redemptionis, per Illum, nondum exhibito; Ianuæ Cæleſtis ob peccatum clauſæ apertio, ita nulli creaturæ, vt neque Illi, patere potuiſſet, eodem S. Bonauent: loco illo commemorato, firmiter aſſeuerante. En tibi, liquet, & conſtat iam, ô homo; Pœnitentiæ neceſſitatem eſſe tantam, vt neceſſe eſſet eam, pro

S Th. 3. parq. 2. art. 5.

Lib: de Redempt: Gene: humaj Cap: 3.

peccato tuo, in alio contracto; non Creaturã aliquam quantumuis nobiliſſimam & excellẽtiſſimam, ſed Deum Ipſum Creatorem tuum, pro te agere & exſoluere. Tibi, ô homo, idem Deus Exemplum relinquens, ac te ad id faciendum prouocans, quod, non ſolùm ipſe in Ara Crucis peregit: ſed etiam tibi ex maſſa peccatrice generato, ad malum omne prono, carne pigra & infirma veſtito eſſe faciendum; vt Author Noui Teſtamenti, Teſtamento ſuo æterno, præcepit, inſtituit, ordinauit, ſanxit, & obligauit. Ille enim in Ara Crucis, pro peccato tuo, in alio contracto, & per te contrahendo, Satisfactionem Deo Patri ad æqualitatem perfectam, ita peregit, exhibuit, & præſtitit: vt nihilominus Satisfactioni tuæ, ſecũdùm Aequalitatem imperfectam ſatisfacienti pro offenſa, quæ ſuppleri debeat Acceptatione Diuina, Intuitu Meritorũ, ab ipſo rigoroſè, & ad Aequalitatem perfectam præſtitorum facta, locum relinqueret. Similem te hac in parte, CHRISTVS IESVS, Patriarchis, Prophetis, & alijs Patribus

tribus Sanctis reddens, qui omnes, licèt ad libationem eius electissimam, suauissimam & diuinissimam pertinerent; agebant tamẽ, pro delicto in Ada commisso, quod ab illis exigebatur, secundùm Aequalitatem imperfectam, Pœnitentiam, cuius satisfactio, valorem suum cõpetentem, ex Meritis Redemptoris, suo tempore per Ipsum in genere Causæ Efficientis exhibendis, ab illis tunc cùm viuerent, in Genere Finalis Causæ præuisis & apprehensis; hauriebat. Quantò igitur tu magis, corpore & animo conniti debes nunc, ô CHRISTIANE? vt pro Actualibus peccatis tuis lethalibus & mortiferis, plena voluntatis tuæ, & arbitrij tui potestate patratis, designatis, sæpiusq; repetitis? Gratiam, Fauorem & Amicitiam Dei amittentibus; à Bono Rationis te auertentibus; Deum Autorem & Redemptorem tuum, iterùm crucifigentibus & ostentui habentibus; Cruciatus æternos & infinitos tibi procurrantib⁹; Fælicitatem tuã æternam perdentibus; Deo & omni ipsius bono te priuãtibus; alijsq; malis atq; miserijs

S. Th. 3. par. Artic: 5.

ſerijs infinitis te afficientibus; Pœnitentiam, ſecundùm Iuſtitiam & Aequalitatem imperfectam, in virtute atque valore Meritorum IESV CHRISTI Infinitorum, complendam, perficiendam, & conſumandam, tempeſtiuè, verè, & ſemper agas? Si te hæc non mouent, ô CHRISTIANE, nihil reperies, quod mouere te vnquã poſſit. Si ſuper his non contremiſcis, non erit in terra & in Cælo, quod terrorem tibi incutiat. Si his, non reſoluis Cor tuum ſaxeum in lachrimas, nihil vnquam aliud, ad ſcindendum Cor tuum ad Pœnitentiam conferret? Crede,

S. Aug. de Pœniten.

S. Auguſtino. Et Spiritualem quidem hominẽ omnem, moueri & adduci his ad Pœnitentiam; certò mihi, cùm eodem S. Auguſt: perſuadeo: carnalem autem, irritari his, irritatumq;, in hæc verba prorumpere, audio. Actuale peccatum Mortale, nequaquã cum Originali culpa, commiſcendum & comparandum eſſe? Actualis verò Culpæ, grauitatem & enormitatẽ, exaggerandam tantoperè nòn eſſe, vtpotè quæ ex Gratia & Miſericordia Redemptoris mera,

Vox hominis carnalis.

& non

& non ex meritis, neque ex operibus aliquibus nostris meritorijs atq; satisfactorijs, à Deo dimittatur? Verba hæc, placere nequaquam mihi possunt, sicuti neq; ipsi DEO placent; quæ enim à Carnali procedunt, Carnalia sunt, qualia odio habet DEVS; intonante & testimonium super ea re perhibente. S. Paulo, *Qui autem in carne sunt, & carnalia sapiunt, Deo placere nõ possunt: quod enim ex carne est, caro est, nec prodest quidquam.* Ad Rom. 8. Confutanda tamen à nobis hic sunt, vt remedium exeundi ex carne, homini carnali exhibeamus; & vt ijs confutatis, spiritalis homo, maiori desiderio atq; ardore, Spiritualia anhelet. Confutamus primũ, Originalem culpam, cum Actuali Peccato mortali, cõferri & comparari æqua ratione posse, constanter asseuerando. Licet enim Actuale Peccatum Mortale, Infinitatem extensionis non habeat, secundùm quam ad infinitos homines extenderetur, sicut per eam Originale Peccatum extenditur; tamen adhuc habet in se multiplicẽ Infinitatem; & Extrinsecam obiectiuam, ratione Obie-

ne Obiecti Infiniti, à quo hominem auertit, & contrà quod tendit; & Intrinsecam eamq; Intensiuam ac in Genere Moris Infinitam simpliciter, ratione Affectus Peccantis ipsi Peccanti coniuncti, qui, quantùm est de se, destructiuus est Dei, ac Diuinitatis ipsius: quo nomine, contrahit grauitatem, malitiam, & enormitatem in ratione offensæ & iniuriæ DEO irrogatæ, Infinitam simpliciter, cui, & pœna sensus, & pœna damni correspondeat. Vnde, horum omnium intuitu, recte S Th. de Aquino, vt IESV CHRISTI Crucifixi Meritorumque eius, mirificus amator atq; laudator, ita Originalis & actualis culpæ enormitatis, acerrimus reprehensor; 3. P. qu. 2. art. 2. multoties in sua Summa, potissimum tamē, in tertia parte eius; Actualis peccati Mortalis enormitatem, malitiam, & grauitatem; cùm Originalis Culpæ enormitate, malitia, & grauitate, combinat, confert, atq; comparat. His adhuc circumstantijs, Actualis Peccati Mortalis aggrauantibus malitiam, ad id accedentibus; quia Actuale Mortale, magis proprijs liberi arbitrij

bitrij nostri viribus patratur, atq; ad proprium non ad alienum efficiens refertur, nec semel, sed iteratò, IESVM CHRISTVM Crucifigi & ostentui haberi curat atq; contendit, idq; vndiquaq; ingrata operis Redemptionis iam exhibiti semel, voluntate. Atque ex his, sit iam primum confutatum. Confutamus & alterum, carnalis hominis diffugium, distinguendo, eademque distinctione, carnalem hominem piè informando, atq; inuitando, vt se, à carne & à sanguine, quæ Regnum Dei non possidebunt, vindicet; & Dei Misericordiam ita cõmendet, ne Iustitiam eiusdẽ euertat; Misericordia enim ipsius (S. Bonauent: teste) Opus Iustitiæ est. Et si ergo, ex gratuita Misericordia Dei, Actuale peccatum Mortale, quâ malum hominis est, quâ deordinat mentem, quâ maculam habitualem in animam inducit, quâ hominem bono rationis virtutis oppositæ, & vita Gratiæ priuet; ad Habitualis Gratiæ à Deo iterum misericorditer datæ præsentiam, peccatori, à Deo gratis dimittatur; tamen quâ est Malum, Deo ac Eius

S. Bon: Lib. de vita Iesu Cap: 1.

ti Diuinæ intentatum, & quà est offensa atque iniuria Infinita, Eidem Omnipotēti Deo à peccatore irrogata; hoc modo consideratum Actuale Mortale peccatum, vsque satisfactione peccatoris pœnitentis mediante, secundùm Iustitiam imperfectam ab eo præstita atque exhibita; à Deo, infinitè peccatori offenso, in virtute Meritorum IESV CHRISTI Infinitorum, dimitti; eodemque signo rationis vsque, quo nempè Satisfactio talis per peccatorem præstita ac exhibita fuerit, Deum, peccatori Pœnitenti, quantùm in illo est facienti, & totum illud quod ab illo Deus exigit implenti; ex irato atq; offenso propitium & amicum reddi, cumq; eius amicitia, bona inæstimabilia eidem peccatori satisfacienti, iterùm à Deo præstari. Sicut enim merita hominis omnia, per peccatum hominis subsequens mortificantur: ita rursus per Pœnitentiam & Satisfactionem veram, eadem mortificata merita, reuiuiscunt, vt S. Th. 3. p. suæ Summæ quæst: 85. artic: 2. & iudicio rationis, & iudicio Fidei, cōprobat.

S. Th. 3. par. q. 85. art. 2.

In iu-

In Iustificatione impij pœnitentis, non Misericordiam solùm, sed & Iustitiam apparere, non mea, sed omnium Orthodoxorum Patrum, & maximè D. Th. 1. p. q. 21. art: 4. ad primum, & 3. p. q. 85. art. 3. sententia est; dum CHRISTVS, inquit ille, Culpas peccatoribus relaxabat, propter Dilectionem, in Iustificatione peccatoris pœnitentis, Iustitiam etiam apparere, indicauit; vndè de Magdalena Luc: 7. ità protulit, *Remissa sunt illi peccata, quia dilexit multùm.* Debet ergò, ordinatione Diuina, in peccatoris Pœnitentia, Satisfactione, ac Iustificatione, reperiri Iustitia; Qui enim Deus ordinauit, vt pro beneficiis ab ipso collatis & acceptis, ab homine, ex debito atq; ex iustitia, per virtutē Religionis, illi satisfiat: Idem quoq; ordinauit, vt ex debito atq; ex iustitia, à peccatore, pro offensis atq; iniuriis, ergà Illum commissis, per Pœnitētiam ac Satisfactionem veram, illi satisfiat. Cernitur tamen atq; reperitur, in Satisfactione huiusmodi peccatoris pœnitentis, Iustitia imperfecta, ea nempè, quæ, ad æqualitatem solùm imperfectam,

S. Th. 1. p. q. 21. art. 4. 3. p. q. 85. a. 3

damnum illud compenſet, quod, per Affectum peccantis, auerſionemq́; eius à ſummo incommutabiliq́; bono; Deo omnipotenti, à peccatore intentatum fuit. Si etenim Patris ad filium, Mariti ad vxorem, & ſerui ad Dominum, Iuſtitia imperfecta eſt; ſiq; & per virtûtem Religionis, Deo pro beneficiis ab ipſo collatis & acceptis, ſolùm ſecundùm Iuſtitiam imperfectam à nobis ſatisfit: quid tandem de Iuſtitia hominis peccatoris pœnitentis & ſatisfaciẽtis, cogitare, dicere, & ſentire, in ordine ad Deum Omnipotentem culpis offenſum, debemus? Profectò, non aliud, niſi hoc, quod & Patres omnes Orthodoxi, de illa ſentiunt; eam nempè, imperfectam eſſe. Acceptat tamen ſatisfactionem huiuſmodi, à peccatore pœnitente & ſatisfaciente, Deus, in virtute atq́; valore Meritorum IESV CHRISTI, qui illis Pretij vndiquaq́; Infiniti exiſtentibus, in Ara Crucis à ſe præſtitis, promeruit hoc apud SS. TRIADEM, ſecundum iuſtitiam, rigoroſam, perfectam, & cõdignam; vt peccatoribus hoc modò pœnitentibus & ſatisfaci-

tisfaciẽtibus, peccatum Actuale mortale quodlibet prout illud est offensa Dei iniuriaq́; Eidem irrogata, satisfactione eorum imperfecta licet mediante, dimittatur. Qualis nihilominùs satisfactio peccatoris pœnitẽtis, vt in virtute atq; valore IESV CHRISTI Meritorum, à Deo acceptetur; Supernaturale Motiuum, secundùm Patres Orthodoxos, habere debet; actus satisfactorios Gratia informatos exhibere & præstare tenetur; totaq́; non solum à Spiritu S. extrinsecus mouente, sed ab inhabitante quoq́; intrinsecusq́; operante, proficisci debet. Spiritus autem SANCTVS, mentes & corda quæ inhabitat ac possidet, confestim ad offensam atq́; iniuriam Deo irrogatam, expiandam atq́; pro virili compensandam, ita viriliter & ita fortitèr commouet, vt cõmotio Eius, totam animam ac totum cor peccatoris pœnitentis, scindat, in lachrymas resoluat, atq́; ad castigationem omnimodam, voluntariè assumendam, illud prouocet; quæ castigatio, in verè pœnitentibus, animæ à corpore separationi dolorosissimæ &

pænosissimæ, secundùm eosdem Patres Orthodoxos, sit similis. Nos verò CHRISTIANI, licèt peccatis Actualibus multis aggrauati, iraq́; atq; odio Dei multiplici digni simus; horum tamen præstamus nihil; nec vnquàm diligentissimum examen instituimus, an, pro peccatis huiusmodi nostris, plena voluntatis nostræ libertate patratis, sæpiusq́; à nobis repetitis, simile aliquid Pænitẽtiæ Eius assumam⁹ & pręstemus, Quam, IESVS CHRISTVS, Mater IESV CHRISTI, & Prę̨cursor eius, pro aliorum peccatis, ipsi expertes peccati cùm essent, susceperunt, egerunt, præstiterunt. Pænitentia nostra est; pænarum infernalium & temporalium metu, à peccatis patrandis, ad modicum tempus, dum nempè flagella Dei nos premunt, cessare atq; subsistere; Deo, Regi, ac Potestati omni à Deo ordinatæ, Gigantum & Cyclopum more semper repugnare; externam, non internam Iustitiam, sectari; vestem reformare, non mentem; hominibus placere, non Domino; pecuniæ, & non tempori, quo, immensum gloriæ pondus operari va-

rari valemus seruire; vnus erga alium tumere, non Dei iudicia expauescere atq; timere; in virtutibus & bonitate non eò vsq; progredi, vt mala Patriæ nostræ quæ eam vndiq; pulsant, possimus per bona opera nostra cùm Gratiæ Dei adiutorio auertere; vitam præsentem, & temporalia, impensè nimis amare, futuram illam in Visione & Fruitione Dei consistentem, postponere, & parui pendere. Qualem Pœnitentiam fucatam, ad Luteri, Melanchtonis, & Caluini, pestilentissimum dogma illud vergens, & sub pietatis prætextu Satisfactionem Christi ac nostram abrogans, Post peccata etiam grauissima satisfactio nulla facienda est à nobis, ne satisfactioni CHRISTI, hoc modo derogem⁹; S. PETRVS, Successor CHRISTI Domini, Caput Ecclesiæ, & Apex Theologorū totius mundi, in Christianis personatis suo tempore aduertens; eam his verbis 1. suæ Epistolæ Cap: 2. positis, censuit redarguendam; *Fratres, quasi liberi, non quasi velamen habentes nequitiæ libertatem, ambulate;* Hoc est, vt Tridentinum & Mogun-

Lut: ser: 2. de Pœnit. Melanchr. in 1. edit. Loc. Comt C. de Pœn. Vox Hæret. Cal: Lib: 3. Instit. Cap. 4. par. 20. & 30.

Trid. Sess. 14. de S. Pœnitent. Cap: 4. & 8. Mog. Can: 23. & 30.

Moguntinum Quartum, contrà Hereſiarchas prædictos explicāt; Satisfactionem CHRISTI, ô CHRISTIANI, qua vobis libertas ampliſſima parta eſt, non velamen nequitiæ, & nutrimentum impietatis, vt Luterus, Melanchton, & Caluinus, voluerunt; ſed exemplum Satisfactionis veſtræ, per vos, pro peccatis præteritis præſtandæ, habete; vt inſtruxit S. PETRVS, ibidem inferius paulò annectens; CHRISTO *igitur in carne paſſo, & vos cogitatione eadem armamini.* Et cùm tales ſimus, re ipſa nempè eccæcati, in malo obdurati, & impœnitentes; tamen, pro verè pœnitentibus, & in Gratia Dei conſtitutis, nos habemus, & reputamus. O errorem intolerabilem: ô iacturam incompenſabilem, ſi pœnitendi, placandi, & merendi, locus, tempus, atq; occaſio effluxerit nobis. Sicut enim Angeli Deſertores, pœnitere nolentes, æternùm à Deo ſunt damnati; ita & homines, eoſdem in hoc imitantes, æternùm damnabūtur, & à fine Beatitudinis Æternæ, in ſempiternùm excident; à quo fine, & ipſe Adam æternùm ex-

nùm excidisset, nisi Pœnitentiæ veræ, rigidæ, & duræ, sedulò instituisset, quæ illum, testimonio SPIRITVS S. custodiuit, ne periret, & eduxit illum à peccato suo. CHRISTVS namq; IESVS, Noui Testamenti Author, Redemptor Generis Humani, Mediator Dei & Hominum; humanum genus perditum, ita per Pœnitentiam voluit esse reparatum, vt Pœnitentiam eandem condecentem & veram, necessitate Medij, in ijs qui Gratiam semel collatam amisserint, ad salutem esse necessariam, ordinauerit. Vana ergo nunc præsumptione vtuntur omnes illi, qui sine vera, rigida, & continua Pœnitentia, vitam æternam consecuturos se autumãt. Tùm quia natura ita comparatum sit, vt Finis, sine medio haberi non possit, & repugnet eum aliter haberi; tum verò etiam, quia circa hoc, ordinatio IESV CHRISTI vndiquaq; necessaria & immobilis intercessit, Qui, Redemptionis opus in Cruce toti mundo exhibens, Merita Passionis suæ, infiniti licet valoris & pretij essent, ea tamen, noluit applicata & proficua esse, Angelis Deser- Sap: 10.

tonibus

toribus, & hominibus Impœnitentibus, ex Patrum Orthodoxum vnanimi consensu. Hanc itaq; institutionem atque ordinationem IESV CHRISTI, Redemptoris & Mediatoris nostri, tanquam scopum, præ oculis, semper habētes; discamus, dilectissimi in visceribus IESV CHRISTI, ex S. Thoma, qui licet fuerit Sanctus, Pœnitentiam tamen continuè egit, & ex eadem, ad requiem æternam à Deo vocatus & susceptus est; quænam vera Pœnitentia sit: & discamus, non speculatiuè, sed Practicè, vt eidem, assiduè, & cum perseuerantia, insistamus. Vera Pœnitentia, inquit ille, 3. parte quæst: 86. art. 5. est: quæ, non suum commodum, neque suum honorem amplius quærit & attendit, sed commodum & honorem Personæ Diuinæ, per peccatum offensæ ac lesæ: & quæ, non priùs à fletibus, doloribus, lamentis, afflictionibus, & tormētis varijs, indè conceptis & assumptis desistit, quàm Eidem Personæ Diuinæ offensæ ac lesæ, pro offensa & iniuria irrogata, satisfactum fuerit. Hæc talis Pœnitentia, Rationis, Fidei,

& Dei

& Dei ipsius iudicio comprobata, nostræ Gentis POLONÆ hominibus, cùm hactenus non esset curæ, non mirùm, quòd sicut ij in omnibus deliquerunt, ita & in omnibus à Deo feriantur; neq; enim DEVS cùm sit iustissimus, plagas peccatoribus intentare, desistere potest, quàm illi, vera Pœnitentia duce, cordi habere hoc cæperint, vt ab ijs, Deo satisfactio condecẽs, pro offensis ac iniurijs grauissimis, Ipsi multotiès irrogatis atq; intentatis, fiat & præstetur. Exempla huius rei in Sacris voluminibus habẽtur plurima, sed nullum horribilius, nostroq; tempori luctuoso accõmodaciùs, quàm hoc, quod Liber Iosue, ad posterorum informatio- Iosue 7.
nem continet ac refert. Licet enim Iosue, is esset apud Deum, cui Iuramento confirmauerat DEVS, totam terram Promissam, & Gentes eam possidentes subiugare, & eundem semper, ad quæcunq; perexerit, prosperare & seruare; tamen vno ipsius milite circa euersionem Iericho, Dei mandatum, per peccatum, transgrediente, hæc durissima verba audire, à Deo, pro-

meruit; *Non poteſt Iſrael ſtare vltrà ante hoſtes ſuos, Ioſue, eoſq; fugiet; nec ero vltrà vobiſcum, donec conteratis eum qui huius ſceleris eſt reus.* Quibus verbis, ex Ore Dei auditis Ioſue, ſollicita cura occurrens, nè omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint diutiùs, neué turbentur ſemper; in vim ſatisfactionis, per Deum à ſe requiſitæ; tulit Achan, Filium Zzare, argentumque, & pallium coccineum, & auream regulã, quæ ille concupiſcens abſtulerat: filios quoq;, & filias eius, boues & aſinos, & oues, ipſumq; Tabernaculum eius, & cunctam ſuppellectilẽ: duxeruntq; eos, filij Iſrael, ad vallem Achor, vbi, dixit Ioſue, Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac, cùm tuis: lapidauitq; eum omnis Iſrael, & cuncta quæ illius erant, igni conſumpta ſunt; & auerſus eſt furor Domini ab eis. Meruitque Ioſue, ex ore Dei, ſatisfactione tali mediante, audire ſecundò: *Nullus poterit tibi reſiſtere amplius, cũctis diebus vitæ tuæ, ſicut fui cum Moyſe, ita ero & tecũ, non dimittã neq; derelinquam te.* Non igitur videatur mirùm,

quia

quia furor Omnipotentis Dei, auersus à nobis non est; Rexq́; ac Dominus noster potentissimus, in Moschis, ac Ditionibus eorum subiugandis, non earn quam ab initio expertus est, sensit posteà fælicitatem; quoniam, hæc quidem facinora, quæ contrà humanam Maiestatem atq; Potestatem commissa sunt, rigida, & aliquo modo condigna satisfactione, iam punita & expiata sunt; hæc verò, quæ contra Maiestatem, & Omnipotentiam Diuinam Infinitã, patrata ac designata sunt, impunita & inexpiata, per Pœnitentiam voluntariam, rigidam, ac condecentem, manent; peccatoribus obstinatis, eccæcatis, & in malo obduratis, offensam Dei, iniuriamq́ue eidem irrogatam, nihili habentibus; sæculo verò, & creaturarum decori atq́; vtilitati, plus nimiò immersis.

Vocis, Ionæ Sarmatici, Extremum.

Jesus.



Vod, cùm Isti, non solùm cùm damnatione sua æterna, sed etiam cùm discrimine Patriæ nostræ dulcissimæ, ac omnium nostrum periculo maximo, faciant; Nos interim Sacerdotes Dei Excelsissimi, quibus proximorum salus cordi esse debet, Duces ignorantium & cæcorum, Libatio POLONIÆ Regum electa, Deliciæ Regni POLONI auitæ & vetustæ, Flos *Academiarum* præcipuus; pro sceleribus istorum, simulq; etiam pro delictis nostris, ante Maiestatem Dei tremendam, in vim satisfactionis, vocem demus cum lachrymis. Et cum isti sint similes ijs, qui quondam impietate atq; immanitate sua, IESV CHRISTI Crucifixi, Redemptoris ac Mediatoris sui, Latus, cùm Corde, crudeliter per lanceam, aperuêrunt; eiusdem Lateris sacratissimi, Sanguinẽ nobilissimum, efficacissimũ, & copiosissimum, ipsorũm immanitati, improbitati, & obdurationi, efficaciter mederi, à Deo, & à Domino IESV CHRISTO, humillimè precemur.

Iudith 8.

cemur. Vt eò conspersi, & emolliti abundantèr isti, agnoscant reatum suum, corda sua per Pœnitentiam scindant, Deo verè reconciliari sollicito studio curent; Ipsi primùm pro offensa, atq; iniuria Eidem irrogata, deinde vero Patriæ suæ, & alijs, satisfacere contendant; ex statu improbitatis, ad Iustitiæ statũ, cùm Gratiæ Dei adiutorio, emergere aduigilent; atq; in statu bono per Deum constituti, non ampliùs operibus suis tumeant, sed Omnipotentiam Dei timeant; oreq; suo obturato, soli Gratiæ Dei, salutem suam, semper acceptum ferant. Deus enim Omnipotẽtissimus, sub peccato, vsq; adeo omnia concludit, vt ex omni Gente, permultos, hucusq; cadere permittat: quò, his ipsis posteà per Gratiam suam subleuatis, & ad persistẽdum in via salutis erectis, crescat inde illi soli, *Laus, Honor, & Gloria*. Nihil quippè adhuc, vt S. Chrysostomus prudentèr notat; fecit & permisit DEVS, quod, non in Gloriam ipsius cesserit; nec quidquam malorum variorum, in mũdo permisisset vnquàm, nisi eadem ad Gloriam

Homil: de Omnip: Dei.

suam

ſuam ordinare, ſciuiſſet, & potuiſſet. Tibi igitur CHRISTE IESV, Redemptor ac Mediator noſter, hoc luctuoſo Reipublicæ ac Patriæ noſtræ tempore, reſipiſcentiam ac conuerſionem iſtorum à vijs ipſorum peſſimis, veram; imo, & omnium noſtrum, committimus. Tibi, & Patriæ noſtræ cariſſimæ, quæ charitates omnium noſtrum, in ſe complexa eſt, Incolumitatem, Fælicitatem, & Salutem, tradimus, quam, ſi in manibus ac viribus noſtris ſitam eſſe exiſtimaremus, iam pridem illam, Dæmon, & alij ſanguinolenti Hoſtes noſtri, de manibus noſtris excuſiſſent; ſed quia omnes nos, ac totam Patriam, Remquepublicam noſtram POLONAM; in tuis Manibus Crucifixis, Omnipotētia Diuina refertis, & Sanguine Tuo copioſiſſimo rigatis, diſpoſitos & deſcriptos nos, à Te, & à SANCTISSIMA TRINITATE eſſe, arbitramur; ideo confidimus, earundem Manum Sanguine rigatarum robore immenſo, atq; potentia infinita; peccata nos extirpaturos, Hoſtes externos profligaturos, Rebelles Domeſticos (ſi qui

ſunt

sunt,) aut sanaturos, aut punituros; ex vniuersis malis quæcunq; nos circumstant, pulsant, & affligunt, emersuros; & postquàm ex his emerserimus, Gratiæ Tuæ postmodũ, ac Bonorum Tuorum Inæstimabilium, compotes nos futuros. Quod nobis, verè, rigidè, ac continuè pœnitentibus, per Te IESVM CHRISTVM, Redemptorem, Aduocatũ, atq; Mediatorem nostrũ, Adoranda TRINITAS, PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS; concedat.

AMEN.

Corripit nos, Flagellis suis Deus; ad Emendationem, & non ad Perditionem: vt Domus eius, in Sanctificatione, permaneat; nam Humilium, & Mansuetorum, semper illi placuit deprecatio. *Iudith* 8. *C.*

Benedictus Deus.

Hæc pauca; quæ irrigante Passione Iesu Christi, de Pœnitentia vera, Doctrinæ Sacræ conformia, Boni Communis ergo, edidimus; S.R.E. iudicio, subijcimus.

BIBLIOTEKA ŚLĄSKA

221325Т